JO. LUDOVICUS PRASCHIUS,

DE

TERMINO VITÆ HUMANÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RATISBONÆ,
LITTERIS DALNSTEINERIANIS.
M, DC. LXXXIV.

C. B. D.

DE termino vitæ noſtræ ambigunt ſapientes. Quidam mobilem dicunt, alij fixum & immobilem. Omnes in eo conſentiunt, diuinam haud abeſſe providentiam; etſi, quomodo interueniat, non explicant, vel non vno certe modo. Nam excludere Deum prorſus à re tantâ, ſapientis non eſt. Stoici, & quicunq; fatum rigidi ponunt, ineuitabile mortis decretum eliciunt. *Fixus eſt cuiq; terminus* (ſcribit Seneca, Conſol. ad Marciam, c. 20.) *manebit ſemper, vbi poſitus eſt: nec illum vlterius diligentia aut gratia promouebit.* Et mox: *Eunt vi ſuâ fata, nec adjiciunt quicquam, nec ex promiſſo ſemel demunt: fruſtra vota ac ſtudia fiunt.* Quod & Perſis & Arabibus diſtricte credi, docet Leuinus Warnerus, in libello, de Termino vitæ. Perſa dicit: *Tametſi ingrediaris in os draconis, haud deuorauerit te, niſi die fati.* Sed non minus ajunt Perſæ: *Etiamſi citra fatum nemo ſit moriturus, tu ne ito in os draconis.* Quæ duo quomodo conciliari poſſint, ipſi viderint. Chriſtianos adducere maxime videtur effatum Hiobi, c. 14. v. 5. *Breues dies hominis ſunt: numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Alios tamen haud vanæ rationes in contrarium mouent: quo inclinat

Tullius, libro mutilo, de Fato. Mihi dubium non eſt, ad quæſtionem hanc non poſſe reſponderi ſimpliciter, ſed cum diſtinctione, & reſpectu ad varia. Eſt enim vitæ terminus quadantenus mobilis, quadantenus immobilis. Multifariam quippe conſideratur: reſpicimusq; vel hominem, vel Deum. In diuinâ prouidentiâ cogitamus vel præſcitum, vel decretum.

Datur autem primo terminus *vniuerſalis*, omnibus poſitus hominibus. Nam vltra Methuſchelachi ætatem nemo prodijt, nec *milleſimum* vitæ annum ſuperauit. Adamus vixit annos 930. Noachus 950. Jaredus 962. Methuſchelachus 969. Hi omnium longæui maxime. Congeſſit alias exempla longæuorum Plinius, Hiſt. Nat. l. 7. c. 48. 49. vbi vide Dalechampium, Caſp. Dornauius, in Mathuſala viuace, pag. 9. & 18. Theod. Zuingerus, in Theatro vitæ hum. vol. 17. lib. 2. p. 2454. & quos citat Jo. Georg. Schielen, Biblioth. Enucl. vocab. *Longæuitas*. Sed & hæc ſubſiſtunt longe infra numerum illum (niſi fabuloſa de Hyperboreis populis recipimus) & in poſterum quoq; neminem vlterius victurum, vel vrgentia mundi fata & impietas perſuadent. Dicimus igitur, hunc in animo Dei conſtitutum eſſe vitæ terminum ſupremum & immobilem. Abſolute tamen impoſſibile non eſt, reſpectu Dei, illum tranſcendere. Immo tranſcendunt, *nati impune*, Henochus, Elias, & qui nouiſſimum mundi diem viuendo attingunt. Sed hoc irregulare prorſus, atq; ideo inſtitutum eſt, vt appareret cum omnipotentia Dei, tum creatio hominis ad vitam ſempiternam. Quare autem de reliquo terminum illum nemo tranſeat, laudatus explicat Dornauius, pag. 8.

Datur porro vitæ terminus *communis*, olim longior, nunc

nunc breuior, ob rationes, ab eodem expoſitas Dornavio. Atq; ita mobilis eſt hic terminus, intuitu Dei, qui naturam hominum in hoc patitur deficere. Eſtq; vel ordinarius, vel ſummus; ille, ſeptuaginta annorum (ſicut apibus *non plus ſeptima ducitur æſtas*) hic, octoginta. Sic enim Moſes; Pſal. 91. v. 10. 11. *Dies annorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni.* Fateor equidem, à pleriſq; hodie ne ſeptuaginta quidem annos expleri. Poſſe tamen id fieri contendo, ſi natura non impediatur. Exempli gratiâ: infantum, qui naſcuntur, dimidium prope mori, ex obſervatione 10. annorum hujus ciuitatis reperio. Impeditur enim varijs caſibus natura. Alias Jo. Graunt, Anglus, obſervat, infantes vicies plures juſtum conſequi terminum, quam qui aut mortui naſcantur, aut naſcentes moriantur. Idem qui alia quoq; notat, quibus terminus vitæ communis variatur, ex catalogis mortuorum. Jlle vero terminus 70. vel 80. annorum, qua communis, eſt immobilis, reſpectu noſtri; hoc eſt, extendi à nobis nequit. Pleroſq; enim, quamvis bene viuentes, non egredi videmus 70. vel 80. annos. Aliqui tamen egrediuntur, vel poſſunt egredi, ſed rarenter & ægre; vt ipſius Pſalmi verba ſequentia indicant: *& amplius eorum labor & dolor.* Adeo vix decima priſci termini pars nobis reſtat. Et plures mori, quam naſci, obſeruamus; deficiente numero tertiâ fere parte.

Datur deniq; *ſingularis* etiam vitæ terminus; qui & ipſe recte dicitur à Deo præſtitutus. Nam, vt circa alias res ſingulas, earumq; terminum (quod fruſtra negat R. Maimonides, & alij) ſic inprimis circa hominis cuiuſcunq; finem occupata eſt diuina prouidentia. Teſtis ipſe Dei filius. *Nonne duo paſſeres*, inquit, *aſſe veneunt? & vnus*

ex

ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Matth. 10. v. 29. Quod tametſi confitentur ſapientes, ſicut dixi; inculcandum tamen ſedulo eſt. Excidit enim fere, quoties incumbunt morbi, aliave diſcrimina. Tunc reſpicimus naturales vires ac remedia: quibus deficientibus, ſuccedit metus, angor, indignatio. Quapropter addit Chriſtus: *Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Etiam quomodo prouidentia Dei interueniat, perpendendum eſt. Efficaciſſimum in his piorum ſolatium. Duplex autem eſt hic terminus; alius *naturæ*, alius *rationis*, vt ſic dixerim; & quidem rationis vel diuinæ, vel humanæ.

Naturalis vitæ terminus, quem nec à ſtellis, nec à numeris, cum quibuſdam veterum (qua de re Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 13.) arceſſimus; accipiendus eſt cum quadam latitudine, non in puncto collocandus. Quamuis igitur vnus ſit, facilioris intellectus cauſſâ poteſt diuidi in primum, & vltimum. Deus enim, auctor & ſeruator naturæ, tribuit cuiq; homini certam materiam, ſuâ cum quantitate & qualitate, cumq; vi durandi longius aut breuius. Exempli gratiâ: huic homini largitur vim durandi 75. annos, alteri nonniſi 60. annos parat. In quo liberrime, prout ſapientiâ ſuâ impellitur, quamlibet per cauſſas naturales ferme, agit: quia tamen optimus eſt, pluribus longum vitæ ſpatium, quam breue, indulgere videtur. Quod autem multi non attingunt ſenectutem, alijs ex cauſſis accidit; de quibus poſtea. Nec immobilem plane condit iſtum terminum, aut momento definit. Eſt in eo primum aliquid, eſt vltimum. *Primum* terminum attingit homo, non autem excedit; niſi aliunde impediatur, vel adjuuetur. Quoniam ergo poteſt impediri vel iuuari,

hacte-

hactenus eſt mobilis. Quamuis itaq; poſſit fieri (de quo mox amplius) ut extendatur hic terminus nonnihil; tamen alius *extremus* finis poſitus eſt illi naturæ, quem excedere præſidijs naturalibus non poteſt. Hinc videmus, nullos conſultores, nulla medicamenta prodeſſe, ubi fatalis hora venerit. Mori ex decreto univerſali neceſſe eſt. *Alium alio tempore fata comprehendent, neminem præteribunt*; ait recte Seneca, Conſol. ad Polyb. c. 30. Et cap. præced. *Natura nulli ſe neceſſitatis ſuæ gratiam facturam eſſe teſtata eſt.* Sed explicatius de ſingulis agamus.

Si interior naturæ vis expirat, homo obit, niſi extrinſecus adjuuetur. Poteſt ergo *prolatari* quodammodo terminus naturalis (primus ſcilicet) ſubſidijs naturalibus. Poteſt deficiens natura per artem & medicamenta, adeoq; per ipſam naturam, ita recreari & confirmari, vt ſuſpendatur interitus nonnihil; teſte experientiâ. Non in perpetuum tamen protrahetur: quia vim à Deo finitam accepit natura. Ridiculum eſt igitur, quod apud Ægyptios fuit Philoſophus, qui docuit commentario, proferri in perpetuum poſſe vitam. Sicut illi quoq; riſu digni, quorum nimius viuendi amor aut imprudentia à Medicis impoſſibilia exigit. *Vtrumne ſtultius ſit neſcio, mortalitatis legem ignorare, an impudentius, recuſare*; ait rurſus Seneca. Sed num tenebitur ægrotus ad ſumendam medicinam, qua producatur terminus naturalis? Tenebitur, ſi opes atq; facultates ferant. Non aſpernanda Dei munera; nec deſperabis, dum ſpirabis. Si tamen ſentiet hinc æger majus incommodum, quam commodum, poterit abſtinere. Quid autem medicus? an tenebitur ad offerendam medelam, qua differatur magis mors, quam detur vita? Tenebitur ſimiliter. Nequaquam vero mortem vltro

acce-

accelerabit, quamuis certa credat hujus indicia. Nam officium ejus eſt, non inſeruire morti, ſed quocunq; modo reſiſtere. Penes neminem jus eſt minuendi vitam, abſq; juſſu diuino. Poſtremus autem terminus naturalis, conſumtis ſcilicet remedijs naturalibus, haud ampliatur. Intelligendum tamen hoc de ratione humanâ. Deum enim poſſe producere vitam mortalibus, & quandoq; produxiſſe, vel exemplum regis Ezechiæ docet. Chriſtus incurabiles & *morituros* (vt filium Reguli) ſanitati reſtituit. Hodieq; magna vis precum eſt & fidei. Lege Pſ. 91. v. 15. 16. Item Pſ. 18. 31. 33. 34. 54. 56. 57. 59. Neq; enim Deus, conditor naturæ, ſubeſt naturæ, aut ſe ipſum obligat, dum naturam cuiuſq; effingit. Immo vbi deſinit vis naturæ, incipit auxilium Dei. Neq; nobis modo, ſed & alijs extrahere poſſumus vitæ terminum. Sic quidam verba Hebraica quarti præcepti (*vt ſis longæuus*) exponunt: *vt prolongent dies tuos*; ſcilicet parentes ipſi, fauore ſuo & ad Deum precibus. Eſt enim vox formæ actiuæ. Lutherus Myconio vitam longiorem impetrauit. Ego priorem maritam ſemel è faucibus mortis eripui.

Jam ſi quæras, an & *contrahere* poſſit homo terminum naturæ; reſpondeo, poſſe vtiq; ab ipſo contrahi (permittente Deo) non modo terminum extremum, ſed & primum; ſcilicet per defectum medicinæ, per imperitiam medendi (immo & peritia habet gradus) per intemperantiam, temeritatem, αὐτοχειρίαν, alijsq; modis. *Qui inveſtigator malorum eſt, opprimetur ab eis*, dicit Salomo. Ergo, niſi quæſiuerit, ſeruari poterit. Vnde idem, Prov. 16. v. 17. *Cuſtodit vitam ſuam, qui cuſtodit viam ſuam.* Si praua eſt hominis diſpoſitio, quæ hoc vel illud malum inuehat, quod omnino necaturum eſſet hominem, niſi impediatur certo

medi-

medicaminis genere & modo (quod Chryſippus, effugio locum quærens, vocat *copulatum*, & *confatale*) poteſt ita malum auerti ac tolli, adeoq; comperendinari interitus, licet tandem aliquando ſequatur. Ideo creata eſt à Deo medicina, ideo ars medendi; ideo commendatur à Scripturâ. Fruſtraq; certe eſſent, qui de valetudine conſeruandâ augendâq; ætate ſcribunt atq; curant. Deniq; cur Dauid orat, Pſ. 102. v. 25. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum?* Nonne clare oſtendit, poſſe ſe mori ante terminum naturalem? Vnde & 1, Sam. 26. v. 10. de Saule dicit: *Niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit.* Veteres dicebant eos, quibus terminus contrahebatur, *ante diem* obire; quibus tangebatur, *fato* mori. Vtrumq; Virgilius de Didone, Æn. l. 4. poſuit:

Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat,
Sed miſera ante diem.

Ad quæ vltima verba Minellius notat: *à Dijs conſtitutum, ordinatum, quem fatalem vocant, quemq; violentâ morte occupauit.* Donatus explicat: *ante tempus, quo natura potuit afferre conſenſum.* Nempe, vt habet Cicero in primo Antonianarum, *multa impendere videntur præter naturam etiam, præterq; fatum.* Quam ſententiam expendit Gellius l. 13. c. 1. Sed relinquit indefinitam. Seruius quoq; ad laudata Maronis verba, quibus opponuntur illa, *Stat ſua cuiq; dies*, non diſſoluit plane nodum. Quem videre, cui libet, licet. Nos adijcimus, multos (niſi forte exempla fallunt) eripi ante diem miſerijs, ob ſuſpiria ſua preceſq; ad Deum. Neq; enim fruſtra docuit orare Chriſtus: *Libera nos à malo.* Quo pe tito & mors haud dubie

natura continetur. Addimus, alios quoq; alijs coarctare poſſe limitem, à naturæ conditore præfinitum. Sicuti Paulus docet, per diſcordias homines ſe inuicem mordere & abſumere. Et in medio ſunt exempla. Ideoq; rationem homo reddere cogitur de fine vitæ, ſibi vel alijs accelerato. Mille citatioris mortis viæ. Caſum quoq; non excludimus, ſed cum explicatione Moſis Maimonidis, Ductore dubitantium, parte 3. c. 17. *Quod illud attinet, an merſio nauis, & eorum quæ in naui ſunt, aut ruina tecti eos opprimens, qui in domo ſunt, mero caſu eueniat, de eo ex noſtra ſententia tenendum eſt, quod illi viri in nauem illam ingreſſi ſunt, & quod illi alij de domo non exierunt, id non eueniſſe mero caſu, ſed ex Dei voluntate, & ſecundum juſtitiam judiciorum ejus, ad quorum tamen cauſſas & rationes mens noſtra nequit pertingere.* Haud obſcure tamen cauſſas talium indicat Chriſtus, Luc. 13. v. 4. 5. Hactenus de termino naturæ.

Quod ad terminum *rationis* attinet, ea vel diuina eſt, vel humana. Terminus, quem *humana* ſibi ratio cognoſcendo ponit, mobilis eſt, vel potius futilis. Exemplum habes ruſtici frumentarij, de quo Luc. 12. v 17. Hujus tumulo jure inſcripſeris illa Petroniana: *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite canti, & opes fraudibus captas per mille annos diſponite. Nempe hic proximâ luce patrimonij ſui rationes inſpexit: nempe diem etiam, quo venturus eſſet in patriam*, (annos etiam, quos jucunde eſſet acturus) *animo ſuo finxit. Dij deæq;, quam longe à deſtinatione ſuâ jacet!* Prouidenter itaq; Jacobus docet, c. 4. v. 13. 14. 15. *Ecce, nunc qui dicitis, Hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis, quid erit in craſtino; quæ eſt enim vita veſtra? vapor*

eſt,

eſt, ad modicum parens, & deincept exterminabitur) pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit: &, Si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Vaniſſima quoq; Aſtrologia, Chiromantia, & his ſimiles diſciplinæ. Quemadmodum autem ratione vitam prorogare nobis haud valemus (exceptâ arte medendi, qua de jam ſupra) ita nec aliter abrumpere poſſumus, quam permiſſu Dei. Jlle claues habet mortis. Nemo equidem neſcit philoſopiæ Stoicæ ſcita, de proijciendis animabus, tot exemplis tragicis apud Tacitum inſignia: quæ nonnulli tamen, vt Seneca, quibuſdam veluti cautelis temperarunt, ne barbara omnino viderentur; Virgilius autem Orco damnauit. Et certe inuentum Orci eſt, homicidium in ſe. Dæmon *homicida eſt ab initio.* Joh. 8. v. 44. Impellit ergo hominem varie ad breuiandum vitæ terminum. Quin & morbis corpus enecat. Vnde mulier illa Luc. 13. v. 11. dicitur habuiſſe *ſpiritum infirmitatis.* Et Marci 9. v. 18. memoratur *ſpiritus mutus.* Sed hæc omnia, quatenus permittit Deus: vti conſtat ex hiſtoria Hiobi. Hunc precatur Dauid: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* De hoc profitetur: *In manibus tuis ſunt tempora mea.* Et Siracides, c. 17. v. 3. *Numerum dierum & tempus dedit illi.* Hunc ergò maxime reſpiciemus.

Nempe Deus ſapienter, pro eminentiâ ac amplitudine dominij ſui, nunc relinquit terminum naturalem, nunc (vt eſt naturæ moderator) porrigit coanguſtatve, vel in præmium vel in pœnam, ſæpe & in exemplũ. Exodi 21. v. 15. 17. reperias legem, vbi mors ſancitur ex judicis decreto, ſi res ſit manifeſta; ſin minus, ira Dei ſuccedit, Deut. 27. v. 16. In quarto Decalogi præcepto aperte pollicetur vitam longam pietati: è contrario intelligitur minari impijs. Exemplum ſuppetit in gente mea, Daniel Praſchius: qui A. C. 1588. vt ipſe litteris conſignauit, Salisburgum iturus

cymbâ, cum pater animadverſâ nautarum temulentiâ diſſuaderet iter, paruit. Exponit eum ſcapha: reliqui abeunt, nauim latente offenſam palo frangunt: pars vectorum vndis, frigore pars intereunt. Ille circumſpecti obſequii præmium tulit vitam. Abſalomo contra quid euenit? Non meminerat ſcilicet paterni carminis: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Pſal. 55. v. 24. Varijs autem modis Deus interuenit prolatando termino: nunc per merum miraculum, vt olim Chriſtus, nunc adminiculis naturalibus: nunc rei prorſus incongruenti vim idoneã tribuit, vt emplaſtro Ezechiæ è ficu, aquæ Jordanis in reſtaurando Naamane: nunc vim ſalutarẽ addit medicinæ, quemadmodũ Virgiliana Venus in curando ſuo æneа: nunc ægroto vel medico bonum ſubijcit conſiliũ, vel per ſeſe, vel per Angelos, vt credibile eſt: nunc per ſomnium admonet; vt illi Medico obtigit, qui ſomnians didicit remedium compoſitum, quod & feliciter morbo adhibuit, & poſt demum quodam in libro ex ordine perſcriptum repperit. Galenus [vti refert libro de curandi rat. per phlebot.] abſceſſu dextri hypochondrij laborans, binis monitus inſomnijs, arteriam inter pollicem & indicem dextri brachij ſecuit: & continuo diutinus dolor ceſſit. Non infrequens hoc eſſe, docent, quæ collegit Zuingerus, Theat. vit. hum. p. 396. Arctaturus vero terminum Deus, jam impedimenta obijcit naturæ prævalida, præcipitia, occulta; jam conſilia turbat, vel cæcat; jam infirmat medicinam, aut ægrotum; jam conniuet Satanæ, ejuſq; famulis. Duas præſertim immittit Diras, Bellum ac Peſtem. De quibus Maro:

Dicuntur geminæ peſtes, cognomine Diræ,
Quas, & Tartaream Nox intempeſta Megæram

Vno

Vno eodemq; tulit partu: paribusq; reuinxit
Serpentum ſpiris, ventoſasq; addidit alas.
Hæ Jouis ad ſolium, ſæuiq; in limine regis
Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris:
Si quando lethum horrificum morbosq; deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes.

Hæ meritam quoq; Germaniam nunc carpunt. Non ſine cauſſis enim facit talia Deus, interdum licet abſtruſis: omnes autem bonis in bonum, malis in malum tendunt. Obtinetq; hîc illud Plinij, Paneg. c. 5. *Plerunq; bonorum malorumq; cauſſæ ſub diuerſâ ſpecie latent.* Prout ergo fuerimus in Deum, ita breuior aut longior vita nobis eueniet. Libentius, vtpote *amator vitæ*, extrahit nobis diem, quàm conſtringit.

Quid multa? Omnibus, quæ ad termini conſecutionem, vel exceſſum, vel defectum pertinent, intereſt primario Deus, alia immittendo, permittendo alia; diſpoſitione naturali, lege, præſcientiâ, vel decreto. De *diſpoſitione naturali* jam eſt actum. Sed & *lege* communivit Deus vitæ terminum: *Non occides. Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ad *præſcientiam* (quæ & momenta numerat) quod attinet, nihil quidem aliter fit, ac præuidit Deus. Et ſic immobilis quodammodo eſt terminus. Quodammodo, dixi. Proprie enim præuiſio illa nihil facit ad rem, vt fiat, vel non fiat. Manet, hoc intuitu, res indifferens, libertatemq; relinquit. Sed eorum, quæ fiunt, Deus aliqua ſinit cadere, vt volunt, probans tantum vel improbans; aliqua tractat ipſe, vrget, ſufflaminat, conuertit; pro ſapientiâ, lenitate, ac juſtitiâ ſuâ. Sic

decreuit: ſic præuidit. Sic omnibus, minimis etiam rebus, ludis etiam, interuenit. Nam, vt docui, *capilli* quoq; caſum curat. Nunc ergo præuidet ſolummodo judicatq; terminum, nunc vltro decernit atq; figit: vt, cum dicit Moſi, *Morere in monte*; cum addit Ezechiæ 15. annos. *Decretum* vero duplex eſt, aliud *denuntiatiuum*, aliud *conditionale*. Quibus verbis apte Seruius *fata* diſtinguit. Prius eſt, quod *omnimodo ventura defert*. Tale eſt, quod Moſi mortem indixit. Poſterius nititur *conditione*: Si Ezechias vtetur ficu, mortem euitabit. Chryſippo aliud *ſimplex*, aliud *copulatum* dicitur. Exemplo Judæ tota res fiet clarior. Vt Judas moreretur ſuſpendio, Deus non decreuit, neq; omnimodo, neq; ſub conditione, ſi prodidiſſet Meſſiam. Non vult enim mortem impij, ſed conuerſionem ac vitam. Ezech. 33. v. 11. Neq; adeo ipſum, neq; incolam ejus Satanam, ad hoc factum impulit. Immo vetuit lege, *Non occides*; naturamq; viuaciorem dedit. Quid non egit Chriſtus, vt reuocaret hominem? Ceterum quia contumaciter delinquebat, non proditione modo, ſed & deſperatione; permiſit Deus, tanquam juſtus judex. Sic decreuit, ſic præuidit ſuſpendium. Præuiſio certa eſt: & (vt cum Cicerone loquar, de Fato) *ſemper verum fuit, Morietur Epicurus, cum duo & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pitarato: neq; tamen erant cauſſæ fatales, cur ita accideret: ſed, quod ita cecidiſſet, certe caſurum, ſicut cecidit, fuit.* Negabat equidem Carneades, Deum potuiſſe præuidere, *Marcellum eum, qui ter Conſul fuit, mari eſſe periturum;* eo quod hoc cauſſas non habuerit neceſſarias: ſed de contrario nobis conſtat.

Patet ergo, quomodo intelligenda ſint Hiobi verba: *Numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus,*

qui